IOANNIS WOVERI
Antuerpiensis

PANEGYRICVS
AVSTRIÆ
SERENISSIMIS ARCHIDVCIBVS
BELGICÆ
Clementissimis, Piissimis, Optimis
PRINCIPIBVS
PATRIÆ PARENTIBVS
scriptus.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. IX.

Ampliſſimis, Præſtantiſſimis, Ornatiſſimiſque CONSVLIBVS ET SENATVI

ceteríſque conciuibus ſuis

ANTVERPIENSIBVS

IOANNES VVOVERIVS

ſe ſuaque omnia dedicat.

Q Væ inter publicæ felicitatis exortum, circumſtrepẽte vndique lætitiæ plauſu, tanti boni AVCTORIBVS; *toto animi cultu, cultuſq; vene-*

ratione, exaraui; ad vos defero, inclyta Patria mea

CONSVLES,

SENATORES,

CIVES.

Si adfectum æstimatis, facti caussam nullam requiritis. Si quispiam seuerior iudex exigit quare solus penè hoc fecerim; promiscua taciturnitatis vti rationem reddere non cogor, ita mei sermonis audaciam deprecari malo, quàm excusationum contextu asserere. Si etiam quantam consternationem miserorum animis indenuntiata gaudia adferant, ad nuperum bac-

bacchantis (ut ſic dicam) BELGICAE *exemplum perpenditis; nihil citiùs veniam mereri, quàm quid quiſpiam tunc dixerit feceritq́ue, iudicabitis. Ille geſtum non continebat; hic niſi lacrymis gaudium ſuum teſtabatur. aliqui vix cum ſilentio ſibi conſtabant; multis exclamatio vocíſque ſubſidium ſuccurrit. Me (uti cœpi, ingenuè pertexam) ſolum verborum auxilium aduerſus incumbentis lætitiæ magnitudinem vindicauit. Ecce neceſſitatis patrocinium; ut iam, an cõcipere hæc debuerim non tam alieni arbitrij ſit, quàm meæ con-*

fessionis quòd continere non potuerim. Habet ergo quisquis lite compellare instituerit, confitentem reum. At vestra, PROCERES, CIVESq́; *amicissimi, aduersus (vt cum poëtâ loquar)* in alienis libris ingeniosos, *me beniuolentia pariter atque beneficentia recreat roboratq́;. Iam olim laudibus istis enituistis. maximis sanè, & quæ solæ virtutibus vestris æquantur. Nemo nisi optimus benè velle & facere potest. Sequitur hanc præsidij promptitudinem, argumenti mei proprietas. Nam licet omnibus hæc tempo-*

rum

rum felix mutatio profit, sic tamen ad vos pertinet, vt parum ceteris profutura sit, nisi vrbem vestram restituerit. Non aliter quàm corpus nostrum quidquid afficit atque delectat, sic ad oculos spectat, vt sine hisce nullis nos gaudiis hilarescere posse fateamur. Vrbium ocellum ANTVERPIAM, *cælestis ingenij æternum elogium iam pridem nuncupauit. O gloriosam commendationem! & quæ sola illos in arrogantiam offendere, ex inuidiâ laborare arguat, qui paucorum vitia omnibus obijcere malunt, quàm laudandorum per-*

ſequi æquitatem. Neque natura quidem *(Rhetore teſte)* aliquid ex omni parte perfectum expoliuit. Semper tamquam ceteris nō ſit habitura quod largiatur, ſi vni cuncta conceſſerit; aliud alij commodi, aliquo adiuncto incommodo, muneratur. *Verùm quàm multa præclara vrbi veſtræ euenerint, tam magnus laudantium quàm ſpectantium populus teſtatur. Singula quis poſſit breuiter æſtimare, ſed vel narrare? Non ego hîc reciprocantibus aquis ſpectatiſſimos Schaldis Mæandros,*

non

non amœna manium, vigentesq; in circuitu agros memorabo. plenæ laudationis hæc argumenta sunt. Industriam, elegãtiam, addo præfiscinè, probitatem, nemo non aduena quia admiratur, amat. Circes fabulam contrariis virtutibus verificastis. nam humanitate, benignitate, optimisq; moribus hoc ab exteris impetrastis, vt cùm hîc habitare cœperint, aliâ in patriâ se natos esse obliuiscantur. Nemo enim, quod domi reliquerat, hîc desiderat; aut comparatione etiam factâ, longè meliora non repperit. Frustrà addam, vitam nostram

quidquid instruit ornatq́ꝫ, & quæ singula alibi in pretio sunt, tantâ vbertate vobis affluere, vt ægrè etiam qui sciunt sibi persuadeant, non hîc prouenire. Quam ego veritatem quotiens attentè mecum perpendo, numquam satis communis felicitatis sortem, & propriæ cuiusq́ꝫ obligationis debitum ponderare possum. Quæ enim alij præoptant eliguntq́ꝫ, quæ omnes suspiciunt, promptisq́ꝫ dilaudant prædicationibus, nos natalium spontaneo munere poßidemus. ergo vt grati simus, singulis incumbit. Ego cùm imbecillitatem omnem meam libra-

libraui, prӕter istud qualecumque ingenium, honestiq́; cultum atque amorem, nihil inueni, quod tibi OPTIMAE DVLCISSIMAEQ. PATRIAE *dare aut consecrare possum. Si minus quàm opto effeci, conficiamq́;, ero tamen conscientiâ hac alacer atque fortunatus, me decori tuo studuisse.*

IOAN-



Quod enim præſtabilius aut pulchrius
DEI munus, quam caſti et ſancti
DIVISQ. ſimillimi PRINCIPES?

Plin. Paneg. Traian.

IOANNIS WOVERI
Antuerpiensis

PANEGYRICVS
SERENISSIMIS
BELGICÆ PRINCIPIBVS
ſcriptus.


I quantam ſæculo lætitiam, SERENISSIMI PRINCIPES, hęc quieſcentis BELGI veſtri facies conciliet, ingenio aſſequi, atque ſtyli officio deſignare quiſquam poſſet; ſanè is præteriti temporis in comparationem, futurique æui in exemplum, grande & duraturum monumentum procuderet. Cùm enim niſi multo tempore, ſenſimque creſcentibus momentis,

mentis, magnorum operum molitiones perficiantur; iam quiuis æſtimare poterit gaudij noſtri in omnem partem procurrentis magnitudinem, ad quam non annorum, ſed luſtrorum ſpatiis peruenimus. Quotus enim quiſque ad iſtam imaginem olim exactę tranquillitatis vel particeps fuit, aut memor nunc eſt? Nam integræ ætatis quotquot ſumus, nos ciuile bellum naſcentes excepit: nos tam longum calamitoſę ætatis curriculum ita promouerat, vt nec iniqui aduerſus nos iudices eſſe videremur, cùm ſuccedentis æui ſtatum ſuperiorum annorum infelicitatę damnaremus. Vltimæ aduerſitatis mala ſunt, quorum finem nec ſperare miſer poteſt. tunc neglectus ſe-

quitur,

quitur,abiectio; atque ex deſperatione voces oriuntur, quæ exitum ſæpiùs inclamant. Vel in morbis medicis peſſimi ſtatus ſignũ, cùm pugnare vires deſinunt , cùm ſe tradunt,imò malo adſunt & quaſi ſuccenturiantur. Nos tantarum miſeriarum ſeruitium , ipſis nobiſcum ſeneſcẽtibus aduerſis,mancipauerat.nedum ſpes,pænè ſuſpiria conſuetudo intercluſerat. Quis enim ſperare poterat, tam diu laceratam, tot ciuilis ſanguinis fluminibus inundatam,beatiſſimis tranquillitatis fœderibus, ſedari BELGICAM hanc poſſe atque componi? Nec vota quidem, quæ vel cælum pulſare audent, ad tam ignoti remotíque numinis aram perueniebant. Quemadmodum enim

in longinquis oceani ſepoſiti inſulis, pro reditu nequidquam cælum ſuſpiciunt, Neptunum venerantur, ventos inuocant, niſi & nauis ſuſcipiat, gubernator dirigat, & ſecundi curſum flatus proſequantur; æquè vanū atque ſuperfluum erat, id optare, quod expetere nemo cum ratione poterat. Ergo malis acquieſcere optimum, & ſubleuare miſeriam, quod aliàs ſummam perficit, videbatur, vt ſine ſenſu nos eſſe miſeros iudicaremus. Sic adfectos, adflictóſque, humanâ maior atque incomparabilis OPTIMORVM PRINCIPVM CLEMENTIA reſpexit. Hæc feritate diſcordes, manſuetudine placauit; odio ſæuos, beniuolentiâ demulcere potuit. Hæc conſanguineis vulneribus

bus manantem ſanguinem ſtitit; totúmque crudeliſſimorum armorum ſtrepitum, concordię beatiſſimo ſilentio conſopiuit. Quod cùm profitemur, & pluſquam humanæ beneficentiæ rationem expendimus, nullâ largitorum maieſtatem adulatione violamus, neque à cæleſtium decretorum dignitate recedimus. Verùm vt præteriti periculi memores, Diuorũ frequentare puluinaria iam ſecuri ſolent; votíque obſtricti religione, quidquid mortis imminens terror expreſſerat, reſtituti ſoluere conſueuerunt: ſic nos conſcientiæ ſollicitat gratitudo, atque meritis, quæ Diuinæ benignitatis naturã æmulantur, verborum exiguâ profeſſione reſpondemus. Omnis in hanc

pietas desinit; neque sublimitatem, supra quam nihil est, nisi prostrata venerari humilitas potest. Igitur à cælo tantæ felicitatis ortus incipiat.

—— Dis proximus ille est,
Quem ratio non ira mouet, qui facta rependens,
Consilio punire potest.

Nisi enim à diuinorum operum æmulatione, tantum terris exemplum prouenire potuisset. Benè sanè atque prudenter,

OPTIMI PRINCIPES,

cùm supra humanam opem BELGICÆ mala inualuissent, ad cælestium remediorū efficaciam confugistis. Numquam vel erga totam mortalium peruicaciam implacabiliter diuinitas excandescit. Nulla tam

tam ſceleſta improbitas, quæ cæleſtis veniæ fontes exhauſit. Si patientiam ad bonorum Principum potentiam non accedere debere ſint qui adfirment, & hi vacuum eſſe æthera fateantur, atque paricidâ mente DEVM tollant. Nec enim defuerunt, humanis qui vel ideò rebus nullum præeſſe numen dicerent, quòd hoc tantis non iraſci ſceleribus perſpicerent. In cælum ſe contumelias mittere, quàm multi non ſciunt tantùm, ſed profitentur. Prouidentiam ille DEO detrahit, & ab origine cauſas inexplicabili ordine procedentes. Hic ſecurum agere æuum dicit, remotum à curis cogitationibuſque humanis. Alius nec manibus parcit, diuina ſacrataque pro-

ſanat, ſanctoque rubeſcere ſanguine gaudet. Nec deſunt qui Iuſtitiæ oculos compungunt, innocentes opprimunt, & tamquam belluæ cruore viſceribuſque proximorum ſaginantur. Nec ideò tamen Sol curſum ſuſpendit, depoſitum terra negat, aut neceſſitatibus omnium natura ſuccurrere deſinit. cùm intereà nec ipſa impietas fulgura ſupremo vindici, non ſęuam famem, peſtemque horrendam deeſſe, ſibi perſuaſit. Quid ſi eadem tolerantia illos coërceat, quos cælitus elargita poteſtas extulit, nónne mortalitatis imbecillitatem exceſſiſſe fatebimur? Cùm nuper adhuc BELGIVM tumeret, tantiſque calamitatibus ſæuientis belli neceſſitas incumberet, nullam impatientię vo-
cem

cem vobis excidisse, nullum incompositi turbatique animi signum processisse, nónne fuerunt, qui, virtutis reconditæ cùm ignota pulchritudo iis esset, vitio cælestissimam patientiam adscriberent? Verùm solet paruitatis indiuidua comes esse malignitas. vires, quibus minor adstupescit, carpere conatur. formam, quam tacitè admiratur aliquis, palàm deæstimat. Inuidiæ ingenium est detrahere alteri, quod sibi deest. Sic quorum captum magnitudo animorum vestrorum excedebat, malè eamdem ad sui moduli exiguitatem examinabant. Tunc indignari vos volebāt, cùm ipsi ringerentur; vindictam machinari, cùm pro alienâ iniuriâ ferro atque flammâ totas

intra ſe regiones exſcinderent atque depopularentur. Malè cum humano genere agitur, priuatæ crudelitatis intemperantiâ cùm ſolium aſcendit, atque ſic publicè quiſquam ſæuit, quemadmodum domi iracundi ſolent. Quanto faciliùs tamen in exiguo anguſtóque lare erumpens flamma comprimitur! quæ publicis vaſtíſque vti monumentis quando cœpit, latè furit, & niſi molis ſuæ ruinâ deſinit. Etiam aduerſus æquiſſimam indignationem, naturalem bonitatem retinuiſtis. ne perirent homines, ad internecionem BELGIVM concideret, maluiſtis neſcire quàm iraſci, miſereri quàm caſtigare, ignoſcere quàm vindicare. Docuit inuſitatæ virtutis euentus, non magis huma-

humani generis ſtrage, aut vaſtitate prouinciarum, quàm Clementiâ & Chriſtiani ſanguinis parcimoniâ conſtare Principibus victorias poſſe. alioquin & ignobiliſſimorum animantium hæc fera rapacitas eſt, vt cùm pauciſſima tantùm deuorare poſſint, grandia proſternant. Cuius ſæuitię quanta felicitas ſit, illi æſtiment, qui regnare vt poſſint homines exuunt, quíque paucis viuere humanum genus iactitant. Aliter & pater & gubernator, aut ſi quod aliud mitiſſimæ caritatis officium, adfectum erga ſuos ſollicitat. Ille ſe perire in ſuis æſtimat; tunc fluere è corpore ſuo ſanguinem, cùm filius vulneratur, clamat. Non vltimo periculo laborantibus pius prudénſque guber-

nator deeſt, hortatur, iubet benè ſperare; & ne omnes pereant, vilium primùm, deinde vel pretioſarum iacturam facere non veretur. etiam pro amiſſis mox vectores gratias agunt, iterùm debere ſe vitam gaudent. Sic nos ſubditorum veſtrorum ſobolem,

PATRIÆ PARENTES,

ſeruaſtis. Non alia ſollicitudo atque prudentia atrocitati infeliciſſimę tempeſtatis nos eripuit. Olim non magnâ arte nauigãtes, Caſtoras geminos præcipuâ veneratione ſacros, tutelaréſque habuèrunt: neque amicum magis in cælo ſidus certiſſimis maris periculis prę-eſſe poſſe iudicabant, quàm illorum, qui tutiſſimo imperio regni ſui nauem gubernaſſent. Quid-

quid

quid enim poëticæ fabulationis nebula inuoluit, optimi regni immortale monumentum in cælo legimus. Sanguine fratres, poteſtate reges, manſuetudinis, pietatis, clementiæ paritate incertum fecerant, num vnus diuiſim ſpiritus bina rectorum corpora animaſſet, an duorum ſenſus animęque ſingulos inhabitaſſent. Tantæ virtutis encomium cælo dignum, ne cum deſinentibus occideret, ortu alterno in cælo conſpicuis facibus gratitudo conſecrauit. Profectò appoſitè atque eleganter: nam quid emicantibus ad humanam ſalutem aſtris par magis, quàm illi Principes, qui præeſſe ſe ſuis ideò nouerunt vt proſint: quorum ſub poteſtate,

—Sicut cælestia semper
Inconcussa suo voluuntur sidera lapsu,

sic populi florent, frequentantur vrbes, fas viget, virtutúmque omnium ordines inoffenso cursu vegetantur & fluunt? Non alia enim facies quieti & moderati imperij, quàm sereni cæli & nitẽtis. Quod ergo ambitio, quæ per adulationem sæculi nostri moribus splendet, multis contulit; vobis in primis, cælo dignissimi PRINCIPES, conuenit. Postquam enim tenebras pellere tam horrendę noctis, tempestatem depulsis bellorum nimbis serenare voluistis; & SERENISSIMOS vos esse subditorum salus profitetur, & procul quoque dissitorum confessio adfirmat.

firmat. Quanto adhuc tamen prę-ſtantius præſentiuſque OPTIMORVM DOMINORVM ſalutare præſidium, præ fulgentibus in cælo luminibus prodeſt! Vel addamus etiam aſtrorum influere arcanas vires, mitibus ſubuenire adſpectibus, copulari profuturis coniunctionibus; quidquid tamen ſic naturæ vel præſtat fauor, aut perſuaſio noſtra ſibi addicit, ignotum atque intrà latentibus cauſſis obſcurum, interpretantiúmque diſſenſionibus incertum eſt. at benignitatis, indulgentiæ, clementiæ cùm ſacris ſideribus adflamur, coràm bona noſtra adſpicimus, accipimúſque; &, vt ſic dicam, oculis manibuſque pertractamus. Nam vt benignitatis veſtræ eſt bellum deſiiſ-

desiisse, ita indulgentię fuit potuisse desinere: vtrumque producit Clementia, cuius sanè nutu instinctúque tam salutare consiliũ processit. Solet enim ista nocentibus occurrere, tam ceterarum virtutum extra ordinem posita, vt sibi post offensas gratias agat, & repperisse se glorietur cui ignoscat. Nescio sanè fatorum solers dispositio an hoc egerit, vt præuia tantarum miseriarum magnitudo parem iam quasi ignotæ virtutis pulchritudinem assereret. Æuum namque, quod vel excelsissima delibare solet, huic quoque multum detraxerat. Imò adulatio, heroicarum virtutum tristis scopulus, sæculi vsa infirmitate, bona vitiis nomina diu iam & quasi se-

curè locare audet: addiditque tam ſolers acumen impudentiæ ſuæ, vt nec deprehenſa erubeſcere cogatur. Æquos, ſcilicet, Clementes, magnanimóſq; eſſe Principes nominandos, quia tales eſſe conuenit. Verùm, vt qui Polycleti ſtatuas & Apellis tabulas ita aſpicit, vti imponi etiam illarum ſibi arte velit, à conſcientiâ tamen ſuâ recedere non poteſt; ita vanis atque fallacibus fortunæ titulis vt quis fauet maximè, non ſecernere tamen non poteſt, Clemens ſit Princeps, an eſſe dicatur. Quamquam non exiguâ cautionę aduerſus hanc vel inſignium Principum generoſiſſimam virtutem opus ſit. Lubenter erga id quod amamus fallimur. Nihil Clemẽtiâ Principem populo
ſuo

ſuo citiùs firmiuſque commendare, oppoſita Crudelitas docet. Hæc peſtis gentis humanę eſt, omniúmque odium ſæculorum, & numquam ſatis etiam aduerſus potentiſſimos vindicatur. Illius tanta veneratio atque amor cunctorum animos inſedit, vt cùm toto lumine rariùs exoriatur, vel in ſtricturâ tenuíque etiam ſcintillâ adoretur. Iulij olim ciuilis animus clementię laudem inuenit, vel quia pares ſibi dum libertate ſpoliat, vitâ donaſſe videbatur. Huius Auguſtus filius, poſt ſtillantia in foro roſtra, cædibus atque proſcriptionibus exhauſtam Italiam, quia quibus imperaret, ſeruauerat, Clementię ſuæ aras poni vidit, dicari permiſit. Quanto glorioſius, citra ſæuitię laſſitudinẽ,

hanc

hanc laudem meruiſſe; tunc peperciſſe, cùm nec mitiſſimis vindictæ rigor diſplicuiſſet? Priſcis in laudem venit Catonis animus omni iniuriâ maior: ſeruo enim de ſe malè merito fertur dixiſſe; Obiurgarem te, niſi iratus eſſem. In Rege quoque, omni virtutũ genere laudatiſſimo, ALPHONSO ARAGONO, haud diſſimilem moderationem ſuperior ætas vidit atque laudauit. Nam famuli cuiuſdam non incuriâ offenſus, ſed contumaciâ fatigatus, fugientémque aſſecutus, ideò tamen ſtrictum abieciſſe ferrum narratur, ne feriret. At veſtra laus,

CLEMENTISSIMI PRINCIPES, ita moderationis hanc æſtimationem excedit, vt cùm æquanimitatis

isti gloriam retulerint, vobis nec Clemētię sufficiat. Hactenus enim huic satis virtuti fuit, vt subiectis parceret, deprecantibus noxam, supplicibus pœnā remitteret. Vos autem exorati fuistis, priusquam rogati. Dicam verè, quia virtutis huius inter mortales exemplum deest, etiam nomen ignoratur. Possem non magno ambitu dicere, ibi desinere humanas virtutes, vbi cęlestes incipiunt. Verùm tantâ in admiratione conquiescere malo; tacitéque suspicere humanis ab oculis ingeniisque remotam mundi prouidentiam. Non vanè semper mortalium rebus imminētium cælorum instinctus inscribimus. vrgent fata, propellúntque; caussasq. quas non inueniunt, faciunt.

At fruſtrà orbium ſupra nos voluentium fauorem ſuſpiciebamus, cùm intra ſublimes Principalium mentium (vt ſic dicam) polos publicæ ſtamina tranquillitatis nerent fata. Cedat igitur quæ multum ſibi arrogare curioſitas ſolet; & ſi auctorem inquirit, vos audiat, qui DEVM inſcribitis. quod an maioris adhuc conſilij eſſet ſi quis dubitaret, maximæ tamen & incomparabilis pietatis eſſe omnibus cõſtaret. Ergo talibus inſtructum BELGIVM iam ſe adſpiciat, credere felicitati ſuæ incipiat. Neque mirum tardiùs procedere hanc fidem, cùm maximorum hæc indoles ſit gaudiorum, vt credulitatem, carendi metu ſuſpendant. Sicut enim loci diuturna obſcuritas quos

detinuit,ad apertę lucis claritatem, totâ luminis acie destitui solent; sic nostras effusa lętitia mentes obnubilat,atque ægrè inexpectata nouitas fidem inuenit, quâ sibi assentiatur. Non aliâ olim admiratione Achaia obstupuit. In theatro enim per præconem T. Quintius cùm edixisset, Græciæ vniuersæ vrbes suo iure vterentur, hæsit consessus: & quod alibi gaudium difficulter modum inuenit, hîc inopiâ diu laborauit; nec vt audirent, sed crederent, tam salutarem sibi vocem repeti voluerunt. Securitatem, hoc est, libertatem, etiam sciens se habere BELGICA, nescit. Hærent omnium animi, oculíque; & quæ pectora iā senex mœstitia angustauerat, nisi tenuibus venulis, inundantis

dantis gaudij copiam recipiunt. Spatio igitur opus eſt, vt pacificos dies, prouentus vberes, diuitem bonis omnibus tranquillitatem, totámque ſecundarum rerum ferre diſcat proſperitatem. Pro rudimento hoc omnibus placuit, ne diutiùs maiorũ acquieſcerent narrationibus. Iis enim parum erat Belgicæ fecunditatis vber laudaſſe, niſi & iucunditatis, amœnitatis, hilaritatis decantaſſent præconia. Hæc non animo præſumere, ſed coràm corpore poſſidere incœpimus. Numquam ſic læta atque genitabilis redeuntis anni ſtatio horridam hiemantémque anni tempeſtatem recreare ſolet, quàm nos circumiacentium agrorum amabilis adſpectus, totiéſque deſi-

derata possessio exhilarauit. Quæ enim regio pinguibus magis vestita pascuis, discreta culturis, arboribus consita, hortis amœnata, vmbrosa siluis, aquis irrigua est? Quãta beneficio vestro, PRINCIPES, gratia accedit, dum talia sunt quę à vobis recepimus? Inducit enim muneris præstantia, liberalitatis æstimationem. Sic quò melior BELGICA, eò miserabilior fuit; augetque restitutionis gloriam, naturalis bonitatis cultusque pristini pretium. Non aliter enim quàm pretiosissimarum gemmarum splendori, auri circumpositum ornamentum, & dignitatem adijcit & perficit gloriam: sic BELGI vestri bonitatem, CONCORDIÆ PVBLICÆ aurea ista securitas. O amicam gentis humanæ

manæ Diuam! & cuius ſic gratia omnes afficit, vt etiam nomen ametur. Cetera mortalium bona vti ſingulæ gentes poſſident, ita amant æſtimantque. Indis è propinquo Sol oriens adoratur; & qui incunabula commodùm ſurgentis diei vident, aliis ſe præſtare iudicant, quia maturiùs illuſtrantur. Africæ non cæli ſui ſiccitas diſplicet, atque fecundiſſimi diluuio fluuij ſic exultat, vt nihil debere ſe nubibus iactitet. Numquam intermiſſam veris ſui auram populi alij prædicant; tantámque ſuis incolis alter orbis fecũditatem imputat, vt niſi meſſibus ſe laſſari conquerantur. Imò ne bonis tantùm gaudere omnes iudicemus; teſqua & ſaxa habitantur, habent & arenarum

ſolitudines incolas, ſtagnáque glacie adſtricta, & maria quæ armatum ferre exercitum poſſunt, ſub pari axe laudantur. In tantâ diſcrepãtium diuerſitate, vnus omnium mortalium cõſenſus Concordiam amat, laudat concentus. Hanc ſcilicet eſſe quietis matrem, fomitem ſecuritatis, publici boni radicem, bonorũ ciuium ſeminarium, opulentiæ ſegetem, almam virtutum omnium nutricem. Cuius non aures animúſque tam delectabili elogiorũ mulcedine perfunditur, pectúſq. penitiſſimis hilareſcit viſceribus? Ergo quantum bonum acceperimus ſi ęgrè ęſtimare poſſemus, vnum ſuccurreret, maius à Principibus expectari non poſſe, cùm nec à Deo præſtabilius conferatur.

Niſi

Nisi concordiâ enim hæc immensa supra circáque nos mundi mœnia stant atque librantur. Cælum ipsum atque illi inerrantes orbibus orbes, nisi inordinato suo ordini stabili fœdere respondeant, ipsi ruant necessum sit pereántq. Inter homines verò coniugia facit, fouet familias, vrbes instruit, regna seruat. Tandem vno in corpore, nisi duo cõiunxerit, quàm graue discidium oritur, pessimúmque in modum affligit? Animo potestas data, corpori seruitium conuenit: cùm verò efferatis motibus, contráq. adfectibus ebullientibus bellum furit, non ratio diuinæ auræ imago apparet, animę corporísque triste diuortium inuehitur. Tam necessariam omnibus, vtilem sin-

gulis, per diſcordiam pereuntibus, conceſſiſtis. Augeri tantum bonum non poterat, niſi opportunitatis feſtinatione. Vt citò medeantur ad ſanitatem conſulentes, votis expetimus, pretio paciſcimur. Ne quid remediorum veſtrorum peritiæ prudentiæque vſquam deeſſet, medicinę commodum incredibili properatione inſtruxiſtis. Niſi tractim illa mitis aura & veris formoſiſſimus annus tepeſcit. non vnum momentum tempeſtatem ſerenitate mutat. etiam cùm maximè mortalium vota properent, moræ tamen non indignantur, per quam optata procedunt. Tantâ, tamque occultâ celeritate, beatitatis noſtræ ſortem inſtruxiſtis, vt nemo ſe tanti orbis conuerſionem audi-

audiuiſſe adfirmet. Erat omnis Belgica buſtum, ecce redditâ iuuẽtute renaſcitur & iuueneſcit. Ciuitates incendijs nigræ, nunc renouatis niteſcunt ſtructuris: deſolata camporum, magis hominũ ſtudio, quàm æſtatis feſtiuitate fouentur. Anteà humano ſanguine infecta maria, nunc vndis placidis alluunt atque rident. Non tam ſcopulis quàm latrocinijs horrendæ nauigationes, optabili ſecuritate conficiuntur. Quid denique ipſi Belgæ, tam miſeri nuper, vt nec de ijs ſermo niſi calamitoſus omnis eſſet? Ecce hi anteà paululùm mœſtitudine anxij, hilariter nunc paſſim renident; exhauſti lacrymis, infinitâ voluptate afficiuntur. Senes in hæc ſe tempora duraſſe exultant,

iuuenes non vitæ magis quàm tranquillitatis ſe auſpicijs beatos prædicant. Parentibus amata ſterilitas, nunc odioſa eſt; ſobolem tollere quiſque expetit,& optatiſſimi temporis ortum ſic ſibi gratulatur, vt vſurâ eius in poſteris quoque frui geſtiat. Inſolitæ felicitatis gaudium eſt, quod heredibus ſuis moriens imputare ſolet. Tamen quaſi adhuc parum eſſet ſic exſtare omnium in vultibus hilaritatis publicæ decus, ſic frontium perpetuâ ſerenitate temporis lætitiam conuenuſtari; etiam mentium interior non vacat receſſus. Hîc enim futuri ratio præſumere audet ſua gaudia, diſponere duraturæ felicitatis bona, Pietatem, Iuſtitiam, manſuetudinem, abſtinentiam, facilitatem,

tem,pudorem,humanitatem, modeſtiam,ſummarum denique ſummam INNOCENTIAM. Hem omni æuo,omnibus bonis, belli meritò deteſtatam calamitatem, quæ tot mortales virtutibus priuat! Noſtro verò, cùm nec à damno ceterarum vmquam abfuimus, numinis cultus, ſinceræ ſacra religionis quàm paſſim perierant, aut permixta erroribus,execrabili opinionum licentiâ confundebantur! O non BelgI tantùm, ſed Europæ labem! Quàm te orbis Reginam,terrarum omnium decus,deformauit hoc tetrum atque lamentabile diſcidium! Non ſic vaſtiſſimæ moles in præceps actæ ſibi incumbunt, ſeque & ſuper quę ceciderunt conterunt; quàm à ſancto Eccleſię corpore

pore prolapſa membra, ſuum vicinis omnibus interitum miſcent. Vidimus igne incenſas vrbes, ſanguine auctos fluuios, cædibus atq. vaſtitate exhauſtas prouincias: nihil priſca crudelitas, aut noua inhumanitas miſeriis noſtris negauit. Verùm inter iſtos tartareæ tempeſtatis nimbos, quàm ſemper candentibus aſtris ſimplex natiuæ pietatis veſtræ ſplendor emicuit! Solent vltimis nauigantium rebus, ſecuro ſidera ſi lumine effulſerint, ſpe nouâ ſuccurrere. Bonâ modeſtæ pietatis veſtræ veniâ,

PIISSIMI PRINCIPES, proferam, non vanam inconſultorum vocem, ſed cordatiſſimorum ſeriam ſententiam: tunc proſtratis deſperatiſque BELGIS animum rediiſſe,

dijsse, cùm vestra diuinæ copulæ Pietas per obstantes atque bellorum nigras nubes exsplendescere cœpit. Quid enim prius habuistis, iam inde ab aduentu vestro, sanctę religionis restitutione, tutelâ, cultu? Prior illa quo nomine magis probari possit, quàm quòd vidimus, non ex ingerentibus, sed sese subtrahētibus, lectos Ecclesię Præsules; illósque ceteris omnibus pręlatos, quos non ambientium gratia, aut prensantium fauor produxerat, sed efficacissimum petitionis genus commendauerat, meruisse. Nouam sanè atque ignotam vel optimorum principum sollicitudinem! ex otio reuocare latentes Pastores, qui Christiani sibíque commissi gregis saluti sedulitate adui-

aduigilent: ideò humiles ſublimare, non vt faſtus in dignitatibus creſcat; ſed virtute quæſita dignitas, modeſtiâ commendetur. Æui noſtri non eſſe hanc virtutem tunc animaduerto, cùm exemplum, ſi requiro, longiùs arceſſere cogor, & ab illis petere, quibus morum integritas cum feliciſſimis fidei principiis obuenerat. Tunc nolentes adſcendere gradum cogebantur, cùm præeſſe non honor ſed onus erat; neque infularum ſplendor cupientes alliceret, ſed laborum pondera etiam proximos terrerent. Si quos præfeciſtis, iuuat examinare, inuenietis, dignitatibus ſe illos meritò ſubtraxiſſe, qui eas tam laboriosè, innocenter, piè adminiſtrarẽt. Niſi pietatis hoc totum eſſe dixiſſem, pruden-

prudentiæ laudem quantam hîc quoque inuenirem! Fontem qui purgare instituit, primi fluxus venam inuestigat; qui malum tollere conatur, ortum atque sedem persequitur. Vt in totum emendatio populum proficeret, in primis succurrere apicibus voluistis; quorum mox disciplina institueret, eruditio doceret, vita prodesset.

Ad Tutelam verò quantus vos ardor armauit, inflammauit amor! Nullum inclytæ stirpis atque eminentissimæ gentis vestræ certius symbolum, SANCTÆ CVSTODIA RELIGIONIS. Tradant alij stemmatum origines ordinesque: nobili atque alto satis ortu se prognatos esse sibi non persuadeant, nisi Deorum Semonúmq. à maio-

ribus

ribus ſanguinem deriuent. Hæc ad illam ſucceſſionis altitudinem, quę omnem æſtimationem excedit, Immortalitas accedat; inuictiſſimam AVSTRIÆ ſtirpis maieſtatem, non tantùm Chriſtiani orbis imperium, totque non vnius orbis regna, legibus gubernare, robore tutari, ſed vnâ quoque incorruptæ religionis veritate ad cæleſtia prouehere. Quòd ſi ab occulto diuinę tutelæ munimine, quo numquam Eccleſia Dei deſtituetur, humanis ſenſibus aliquãdo recedimus; nónne ſine huius viribus, tot contra hoſtium incurſus, ſtare non poſſe palàm arbitramur? Iam inde enim à fallacium in fide opinionum exortu, omni ope contendit, vel vt in herbâ peſtilentiæ ſemen occideret, vel

vel ad ſegetem alibi progreſſa, inanibus culmis triſtiſſimam Erebi meſſem falleret. Hanc ad vos delatam gloriam iugi ſtudio excolitis, labore indefeſſo augetis: & ne quâ in parte officium tam ſanctum deeſſe videretur, omni curâ proſpicitis, cultus ſuaque Diuinis veneratio ne deſit. Heu quantam hæc piiſſimæ beneficẽtiæ vbertas materiam inuenit! Quæ ſacrilega enim nuper impietas deuaſtauerat, ad reſtitutionis laborẽ liberalitas veſtra inuitat. Quæ temporum iniquitas obſcurauerat, hominum incuria neglexerat, ad conſpectum publicum vſumque omnium cura atque ſtudium veſtrum producit. Nec ideò veteribus ſic ſuccurritis, vt noua diuinæ largitatis beneficia

templa desiderent, ad primordia suæ pietatis sancta sedulitas recurrens destitui se cõqueratur. Quàm insigni enim magnificentiâ illa attolli delubra videmus, quæ, nisi omnem frontem perdiderunt, vel ipsis nouatoribus ruborem incutiant necessum est! Quàm cælestibus in terris animis domicilia exstruitis, imò ipsis vestris coniungitis! Si cetera pietatis opera piè occultatis, istud omnium in oculis crescit; & quales sint, qui se tam sanctis contuberniis pari integritate coniunxerunt, cunctis innotescit. Ergo quòd delubra marmore nitent, auro radiantur, beneficij vestri est; exempli verò, quòd in iis pietas viget, fulget sanctitas, fides triumphat. Olim ad Imperatoriam

riam maieſtatem etiam ſacrorum ſumma poteſtas accedebat; neque promanare religionis fluxus, Iuſtitiæ vndas, niſi ab eodem fonte arbitrabantur. Deſiit illius inſtituti ratio, res manſit, cùm æquitas atq. religio haud aliter inter ſe cohæreant, quàm diei luciſque cognationem videmus. Pius Antoninus fuit, idem Aſtrææ myſta. Marci religio commendatur, ſtatim æquitatis memoria occurrit. Quàm nouo hanc veritatem exemplo fulcitis! Tranſit enim omnis veſtra religioſitas, in Iuſtitiæ adminiſtrationem; & huius, vt ſic dicam, aris, quas à piis puriſque precum hoſtiis mentes refertis, admouetis. Quàm difficilem hanc calamitas temporum virtutem reddiderat, nemo

ignorat. inter tot enim rapientium armatas manus, inter tot venalis vitæ animas, duos esse qui prouinciarum querelis, ciuitatum desideriis, omnium questibus, singulorum lacrymis succurrerent atque opitularentur. Tamen audiat posteritas, frustrà neminem implorasse, nec ad Iustitiam supplices manus in vanum extendisse. Nec id requirimus vt omnium suspiria extincta fuerint, vt exulceratas multorum mentes animósque spe prædę inhiantes satiaueritis. Iis casibus tempora vestra PRINCIPES obnoxia fuerunt, quibus virtutis fuit, & plurima multis non concessisse. Sed stetit semper vobis recti consilium, quod felicitate muneris vestri nunc sic lætatur, vt si morum memoria

moria corruptissimorum ipso cum tēpore periisset, satis præteritorum testificatio in tam effusissimis exultationibus appareret. O plenum igitur nunc Iustitiæ sidus oriatur, extráque nubem temporum lucidum proferat vultum. Hæc sola, turbatam disiectámque anteà, ad publicæ quietis consensum, totam hanc tuorum multitudinem ducet. Hæc terrâ maríque pacatam BELGICAM, pro superbiâ, lubidine, auaritiâ, audaciâ, oppositarum virtutum ornamentis componet. Denique quidquid olim scelerum pacem turbauerat, ad conspectum tam sancti numinis non aliter diffugiet, quàm tenebræ & quidquid post Solem regnat, lucis ortu solet. Imò depressa diu, surgere æquitas

audet, & restitutionem suam beatissimæ temporum affigere securitati; audet exclamare, non tranquillitatis publicę profuturum bonum, nisi domi, in foro, circa tribunalia, quæ ad acerrimi belli sæuitiam pugnant, emendentur. In subacto, sed sine semine agro, non sic effusè vberéque cardui sterelésque auenæ nascuntur, quàm inter ciuilia bella infelix litium lolium surgit. O ſęuam tristémque tabem! non sic mala vlcera fœdáque scabies corpora corrumpit exedítque, quàm hæc forensis impetigo miserorum res atque fortunas. Succurrite OPTIMI ÆQVISSIMIQVE; & qui inclementis elementi etiam feritatē compescere potuistis, non permittite in foro vt piratica exerceatur.

ceatur. & iſta tamen cùm rapere propoſitum habet, hoſtiliter priuſquam tangat, terret: illa beneficio ſuo decipit; periculo dum ſuccurrit, grauiùs adfligit. Verùm contra publicos mores cùm edicta valeāt, leges armentur: ecce priuatim, ſub magnis turbarum vitijs, minori damno, pari tamē ſcelere inualuerunt, detractio, delatio, ingratitudo, perfidia, inuidia. Nihílq. harum architectis ſuperfuit, niſi puris honeſtíſque ſtudiorum nominibus abuterentur. Quibus ad pœnam quamuis factorum fœditas ſufficeret, tamen poſtquam depudere didicerunt, etiā iuſtitia obiurget. Vel in ſicarijs voluntas caſtigatur; qui alienis reſculis furtiuas manus iniecit, laquei mox pœnam non de-

precatur. In alienam famam Harpyiæ inuolant, neque calamis aliter, quàm hæ vnguibus sæuiunt. Tollite infaustas aues, quæ teterrimo odore virtutis dapes inficiunt. Non conuenit temporum horum lætitiæ, modestiæque, ambitus prauus, feralis inuidentia. Succedant, candor, abstinentia: sitque omnium clarissimum mansuetudinis vestræ monumentum, *plurimi exemplo, pœnâ ignaui ignobilioresq́; compositi omnes atque decentes*. Tantum enim à superbiâ omnia dicta factaque vestra absunt, vt nec in illis virtutum iactantiam retinueritis; hisce tam æquabiles, vt citra vllam querelam nos prompti aditus sacris vestris conspectibus inferant. Nulli obices aut despiciens

ſpiciens mora etiam humiles vexat, nec cuiquam pro felicitate ceſſit ianitoribus innotuiſſe. Accedimus, audimur, nec magis opem miſeris, adflictis ſolatium, depreſſis iuuamen negare poteſtis, quàm fontes turgentibus fecundi venis, vndas haurientibus. Non ſacri palatij reuerentia, non principalis maieſtatis inſtrumentũ ſatellitium nos ſubmouet, non interioris vitæ virtutes aufert. Sanè niſi malis principibus onerosa curioſitas; cũ videri ſe ſciant, & tunc maximè cùm occultantur. Vobis nullus niſi pro ſanctiſſimis moribus, pudicitiâ, pudore, continentiâ, metus; tantúmque ab omni vel vitiorum ſuſpicione receſſiſtis, vt hæc laudẽ in vobis mereri non videantur.

 Inge-

Ingenerata enim esse, & nullo studio prouenire censentur. Quædam virtutes sic hominibus se conciliant, vt abesse non posse putentur. verumtamen vt laudem inueniunt quæ labori respondent; gratique fructus colligimus, pro quibus sudore madueramus: sic illius gentis felicitatem suspicimus, apud quam thus spontaneum germinat, incultæ stirpes pretiosis balsami lacrymis madescunt. Sint itaque vobis tralaticia, quorum alij gloriam adfectant. Nemo castimoniam in comparationem inexpletarum libidinũ extollat, laudúmque vestrarum puritatem, magnorum in alijs scelerum commemoratione incestet. Hoc omnibus sufficiat, nullum Vestalium collegium maiori

maiori ſedulitate purum atque incorruptum eſſe, quàm Principum noſtrorum non modò cubile, thoruſque, verùm domus tota, & quæ legibus ſanctiſſimæ diſciplinæ familia regitur. O præclaram, atque Magnis Principibus digniſſimam laudem! non de poteſtate licētiam facere, ſed legum reuerentiam ſic colere, vt eas nullis magis incumbere quàm conditoribus ſuis conſtet. Sequitur hanc obſeruantiam humanitas, modeſtia, ceteræque congeneres virtutes, ſibi de culmine fortunæ, ſupra quam nihil eſt, hoc tantùm adſciſcentes, vt illam ſequi videantur, & perfectionis gloriâ inferiorem etiam ſuæ ſortis ſtatum excedere. Placuit olim Sapientiæ conſultis, virtutũ omnium ſocie-

ſocietas, cõnexióque. Neque vnius aliter prouenire proprietatem, niſi in conſortium contuberniumq́ue ceteras adduxerit omnes. E cælo auream hanc propẽdere catenam, Poëtarum dulcia ſtudia addiderunt. nam in iſtis vti circulorum complexus ſibi mutuo inhærentes durum atque inhabile ad vſum munimentumq́ue metallum diducunt, aptántque; ſic vnius boni honeſtíque vim atque naturam, tot nominum ſigna vocéſque deſignare tantùm, atq. humanis aptare cognitionibus. Ire per ſingulas niſi æternorum monumenta poterunt laborum. Dabit his annalium vetuſtas admirationem. Tot elegantia beatiſſimorum temporum ingenia remetiri felicitatem ſuam

niſi

nisi augustissimis vestris laudibus poterunt. Me omnium fructus, ultima mortalium beatitas, & sola viuentibus quæ præmium reddit, INNOCENTIA non dimittit. Hæc cæli germen, orbis columen, tutatrix generis humani est. Hanc ego non alio conscientiæ elogio agere vobiscum & disserere arbitror: Ego ex omnibus collecta virtutibus hoc præstare mortalibus soleo, vt se benefecisse lætentur. Nemo sine me saluus egit aut beatus. Securitatem aliis Fortitudo, Iustitia gloriam atque duraturum decus dedit. Temperantiæ robur non defuit, non Prudentiam prosperitas optatorum deseruit. Si benè calculum ponitis, singulis bonis etiam primæ virtutes censentur. Nemo

me

me nisi post omnes nominabit. Quantum supra omnia humana virtutes meæ eminent, tantum ego supra istas. Proximè ad DEVM dignitas mea accedit: & quàm ex vicino cum summo numine agam, hinc constat, quòd nemo me proferat, nisi DEVM cogitet. Agite mei PRINCIPES, diu sanctissimo vestrorum pectorum domicilio præsentia mea gaudeat. Quantum autem bonum vobis contigerit, Sapiens æstimabit, *cùm rarißimam me laudẽ esse & nulli adhuc Principi concessam* affirmat. Ecce conscientiæ vestræ ex adytis arcanas voces. Raram sanè felicitatem inter aduersa, virtutibus consecuti estis, manus innoxias, puras mentes. Alius sceptro, purpuræque adstupe-

ſtupeſcat, & regij apparatus fulgori oculos ſubmittat. Sit quem tot locorum terrarúmque arbitrium, duorúmque nutuum imperijs tot populi acquieſcentes admiratione detineant; me magis quòd æſtu in medio ciuilium bellorum, furentibus vndique ſceleribus, nec mendaciorum audaciæ ſuperſit quod obijciat. Nec hoſtis niſi innocentiam inuenit, & ſi incurrere in eam conetur, laudat. Ergo optimis hiſce ſanctiſſimíſque moribus, quid niſi temporum par placiditas debebatur? Sapientiæ ſcitum eſt, non cedere aduerſantibus. eadem tamen proſperitatem ſi eligit, præfert. Citra periculum inglorius portũ gubernator tenet, nec ideò tamen laceſſit ſcopulos, & fugere futu-

futurã conatur tempeſtatem. Sic bellum quamuis non detrectet, pace tamen gaudet, quiſquis bonus rectúſque Princeps. Ibi exercitus inſtruit, expugnat vrbes; & ad felicitatem voti vti perueniat, crudeli ſtrage oppletos campos, humano ſanguine arua madentia aſpicit. Hîc Iuſtitiæ quietíſque bona, artibus pacíſque ornamentis exornat; domi populum honeſtiſſimis ſuarum rationum officijs inſtruit. Bonos enim ſubditos vita principum facit, ſemperq́ue iſtorum ab exemplo populorum virtutes fluunt. Sic omnis ętas vſúſque adfirmauit, certiſſimam ſubditorum diſciplinam eſſe Principum mores. Hos dum aſpicit, ſequitur ſubditus; nec latere illa altitudo poteſt, cuius faſtigium vndi-

vndique laterum aſpicitur. Priuatorum licentiam obſcuritas tegit, Reges verò nullum abdit ſecretum, nulla ſolitudo à pluribus defendit. ſi quando receſſerunt, tunc abſentia examinatur; nec vmquam minùs ſoli, quàm ſi cum nemine verſantur. Prodeat nunc Principalis potentiæ ſeria atque incorrupta æſtimatrix Veritas, nónne hoc primarium fortunæ veſtræ ineſſe fatebitur, non regi tantùm à vobis homines, ſed formari? Dum enim prouidentiæ munera ſuſtinetis, ſummi numinis vt vicem geritis, ita imaginem ſanctis inculpatíſque actionibus præfertis; ecce quàm incomparabile atque ſalutare decus oritur, DEVM à vobis exprimi, veſtro imperio

ſubiectos, vos æmulari. Opes elargiri, conferre dignitates, & quidquid fortunæ nomine circumfertur in manu habere, humanæ poteſtatis feliciſſimum cenſetur. verùm VIRTVTEM, maximum mortalium bonum, deberi vobis, quantâ vos cæleſtis culminis maieſtate complet! Fruſtrà ad hanc gloriam veſtes palmatæ, triumphales trabeæ quadriiugis in curribus effulgentes aſpirent. numquam inſanis ſaxorum ſubſtructionibus, ambigua inſcriptorum titulorum fides tantum præſumat, vt cum hac diuinarum laudum immortalitate ſe componere audeat. Vndecies centena & ſupra hominum millia ferro flammáque extincta, Cæſaris gloriatio ſit Dictatoris. Captis oppidis

pidis castellísque mille quingentis, PompeI magni maior fama se efferat. Ad homines Virtus reducta, orbi quies reddita, vestra ÆTERNITAS erit. Ne tantæ laudi angusta BELGICA nunc esset, etiam miseriis suis malisque debet; quibus cùm sola non sufficeret, nisi cum omnibus terris pericula sua communicare potuit. Quis enim in alium quoque orbem bella nostra nauigasse ignorat? Vt in dissitis sæpè littoribus ortæ tempestates, succedentes semper vndas impellunt, atque ibi fluctus excitant, vbi ignorantur; ita alio sub sole gentes BELGARVM motus concussit, bellum adflixit: diu miseras, priusquam esse se scirent;&quę tutò deficientis orbis populum ignorabant,

rabant, nisi calamitatibus & ruinæ suæ tristissimis experimentis superesse didicerunt. Noua liberalitatis vestræ hîc magnitudo elucescit. Iis prodesse, quibus vt maximè vtilis sis, ad te tamen fructus redit, etiam laude dignum censetur. Sic capiti, cùm inde vita dimanet, cetera membra merent. Vel vt ex summo se Princeps æstimet, populi sui corpus non excedit, & capitis se dignitate præstare dicit. Vos

BENEFICENTISSIMI PRINCIPES

& iis benefacere studuistis, pro quibus nisi à conscientiâ vestrâ gratitudinem expectatis. Indi & qui Taprobanen incolunt, ceteræque illius plagæ gentes, quarum ante nostram ætatem nemo nomina

audi-

audiuit, pace veſtrâ fruuntur. Alexandrum olim non vno orbe cæloque contentum, illa tamen regio excluſit; verùm quod ambitioni eius deerat, mendacium ſuppleuit. Aras humano vſu maiores, in finibus ædificauit; & quidquid homines relinquere poſſunt ſic auxit, vt credere poſteri cogerentur, mortalibus neminem viribus ad illa loca perueniſſe. Melior, quia vera, apud illos fama veſtra erit. vobis illi quietem debebunt, atque mirum dictu, magis Clementiæ veſtræ quàm Solis ſui munimento ſe tutos eſſe profitebuntur. A tam diſſitæ gentis obligatione ad nos redeo, quibus imputari hoc totum poteſt, quod aliis præſtatur. Vt à Sole radij, licet

remotiſſimos quoque orbis habitatores illuſtrent, meliores tamen in vicinos deſinunt; ſic propriè beneficentiæ veſtræ ad nos bona ſpectant. Hæc in commune omnibus quàm ſuauia atque delectabilia ſint, ſinguli priuatim probant. Nemo enim, poſtquam prouenerunt, lucem expectat, niſi vt gaudia veſtra tractet; nemo operi incumbit, niſi quod ſecuritati temporis dedicet. Nec quietem quidem hæc publica quies deſerit, occurrit ſopitis atque illudit: inde cum timore ſæpè euigilamus; & quaſi falſa oſtenderit, donec ad veritatem cogitationum redierimus, hæremus. maiora deinde quàm vt occultari poſſint vota omnium atque ſuſpiria, vt hæc

certa atque perennia nobis ſint. Quidquid de certitudine nobis pollicemur, ſpeique conſtantiam vultu ſimulamus, tamen anxietate atque ſollicitudine prodimur. Vnica ſolet proles, maternæ caritatis curationem inflammare. nemo infra hanc diligentiam, publici gaudij orbitatem timet. & niſi quæ totam tempeſtatem ſedauerunt virtutes, nūc ſuſpiciones quoque noſtras tranquillarent, maximam præſentis felicitatis partem decoqueret ſolliciti timoris intempeſtiuitas. Itaque vnum omnium votum, OPTIMORVM PRINCIPVM SALVS EST. Talium enim præſidio deſtituta, qualis futura eſſet ſi BELGICA ignoraret, ipſam ſe interrogando cognoſceret.

ſceret. Niſi florentes feliceſque cum his erimus, ſine quibus miſeri atque deplorati nuper fuimus. Ergo ſalute veſtrâ viuimus; neque pro ſe quiſquam intercedit, niſi pro illâ precis ſuæ potiſſimam partem occupet. Sic omnis ætas, ſexus, conditio ſuſpirat. vos pietas cælo commendat; Parentes liberis ſuis optant. vobis agricola terram excolit, nauita mare contemnit. deniquè ſic ſaluos ſe ſuoſque optant, vt vos ſaluos

SALVTIS PVBLICÆ PARENTES

videant. Atque, ſicut optimum ſtatum è miſerrimo nobis contuliſtis; ita DEVS, BELGICÆ hanc beatitatem, veſtro ſpiritu animatam, in vobis conſeruet. Denique quoniam populo BELGICO, opulentia,

lentia, quies, ſecuritas feliciter prouenit; vos pro tantis meritis,

SACRATISSIMI PRINCIPES, inuſitatæ Clementiæ cæleſtis corona manet: & temporariæ pro beneficio felicitatis, æternùm duratura gaudia compenſantur.

FINIS.

CENSVRA.

HVnc PANEGYRICVM *legi, ac doctissimum, & nihil Orthodoxæ Fidei contrarium inueni. Dignum igitur iudico qui typis mandetur.* x. *Octobris, Anno* M. DC. IX.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpiensis, librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLAE CLARAE EVGENIAE *Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Priuilegio cautum est, nequis,* Ioannis VVouerij Antuerpiensis Panegyricum Serenissimis Belgicæ Principibus scriptum, *præter voluntatem Ioannis Moreti Typographi Antuerpiensis excudat, aut alibi excusum in Inferioris Germaniæ ditiones importet. Qui secùs fecerit, confiscatione librorum & alia graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* XXVII. *Nouembris,* M. DC. IX.

Signat.

N. Lombaerts.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. IX.